

malium in mensam afferantur, uti consuetudo jamdudum tenuit, ac simul auctoritate nostra præscribere, ne reliquæ partes Animalium in cibum famantur: sed hinc sententiæ magis opere adferantur ea, quæ superius commemoravimus, nempe dubitates, molestique serupuli Fidelium ex una parte, & ex altera contemptus abſtinentiæ, quam facile negligerent illi, qui Divino timore parum decuntur. Quæ cum ita se habeant, solum sapere facultatem largiri, ut diebus simplicis Sabbati, non vero Quadragesimæ, carnes absque ullo discrimine permittantur: siquidem hoc pacto ratio habetur humanæ fragilitatis, ac tenuitatis; pii Fideles ab omni sollicitudine, metque eripiuntur; ac postremo plurimis scandalis aditus intercluditur.

§. 5. Quæ de causâ, morem gerentes voluntati ejusdem Philippi Regis Catholici, & obsecrantes vehementer studio tot Virorum, qui in Hispania commendatione pietatis excellent, Fraternitati sue

per præsentem committimus, & mandamus, ut nostro nomine, nostraque Apostolica auctoritate, permittas, & indulgeas, ut in Regnis Castellæ, Legionis, atque Indiarum, per dies Sabbati (quibus tamen hecque abſtinentia consueta Quadragesimæ, & neque aliud jejunium præcipitur) quibuslibet Animalium partibus Fideles vescantur; eam vero conditionem adjicimus, nempe si consuetudo hujusmodi postremas Animalium partes edendi diebus Sabbati, jamdudum in illidem Regnis invaluerit, & à veritate aliena minime fiat pericula Nobis exposita, & ipsa certo iucunda videantur, si Carnium usus ad certas Animalium partes solum redigatur. Interea Apostolica benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, per amara verba impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Januarii 1745. Pontificatus nostri Anno quinto.

D. Card. Passioneus.

CIRCA RITUS IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE,

Ad Part. 4. de Sacramentis, eod. Tom. 1.

Vide infr. Constitutionem Omnium, congestam ad Tom. 3. Part. 3.

CIRCA SACRAMENTUM POENITENTIÆ,

Ad cand. Part. 4. Cap. 4. § 10. tum ad Part. 2. Cap. 3. § 5.

Declaratio Indulgentiarum eligendi Confessarium approbatum.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatione concessa, ad Christiani Populi profectum, & promovendam animarum salutem plurimum conferre non dubitamus: si tamen eorum interpretatio ingeniorum liberius opinantium licentia permittatur; unde in sensus à mente, & voluntate concedentium alienos detorqueantur, eadem in Ecclesiasticæ Disciplinæ detrimentum, & ipsorum Fidelium periculum, atque perniciem, perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu susceperimus, sanctissimarum Ecclesiæ Legum custodia, & flagranti, quo tenemus, studio, de universo Christi grege ad æternæ beatitudinis metam securius dirigendo, non solum recte constitutas à Patribus agendi regulas in dies magis, ma-

gisque constabillire satagimus; nullam prætermittentes occasione intemperate disciplinæ observantiam Catholicis omnibus præscribendi, & commendandi; verum etiam Indulgentiarum ab hac eadem Apostolica Sede benigne concessorum certos indicare limites, & tutam ipsorum formam, usumque præfinire, juxta nostram, & Prædecessorum nostrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem, & voluntatem; opportunum in Domino iudicamus.

§. 1. Sane hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare videretur, quod Sedes Apostolica, vel cunctis Christi fidelibus, per universalis Jubilæi Litteras, vel nonnullarum Regionum incolis, per Bullam, ut appellantur *Cruciatæ*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium, seu Confratrum cæteribus, per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi unum quempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones audiendas, qui eos à cul-

culpæ, criminibus, & censuris, alioquin reservatis, absolvere valeat: Etenim eo periculosius in usu Indulgentiarum hujus generis erratur, quo gravius in illidem agitur negotium, Sacramenti nimirum Poenitentiae, lapsis post Baptisum ad salutem profusus necessarii, valida, ac legitima administratione, ejusdemque respective suscipio.

§. 2. Et quidem fel. record. Prædecessor noster Innocentius Papa XII. ex delatis ad se nonnullorum Episcoporum Regni Portugalliæ tunc temporis existentium, & aliorum timorata conscientia Virorum querelis, intelligens opinionem quandam revixisse, cæteroque per Apostolicas Pauli V. Urbani VIII. & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum Constitutiones, necnon per plura Congregationum S. R. E. Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quam negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum, Decreta, dudum damnata, ac reprobatam; qua opinio freti plerique illarum partium Fideles, & Indulta circa prædictam Confessarii electionem à Sancta Sede concessa; & elargita in Litteris Apostolicis pro Cruciatæ Sancta emanatis, quas Bullam Cruciatæ vocant, ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla hujusmodi Christi fidelibus attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo absolutionem, ut præfertur, à quibusvis peccatis, atque censuris in prædicta Bulla non exceptis, locum haberet, & habere censetur, etiamsi Ordinarius præfatus non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones prædictas excipi contingeret; hujusmodi opinionem, in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, tam eorum, qui tunc temporis Episcoporum, & Regularium consultationibus præpositi erant, quam aliorum adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitionum à Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex integro examinatam, iterum censuit proſcribendam, atque damnandam; sicuti re ipsa proſcriptis, & damnatis, per Apostolicas in forma Brevis Litteras incipit. *Cum sicut*, die decimano Aprilis anni milleſimi septingentesimi, Pontificatus sui anno nono editas; decernens, & declarans, prædictam Bullam Cruciatæ, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarii tam Sæculares, quam Regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ à Poenitentibus ad audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diocesis loci, in quo ipsi Poenitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem fe-

mel, vel pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, & Diocesium obtentam, etiamsi Poenitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: Subindeque statuit Confessiones aliter in posterum factas, & respectively auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præsumpserint, suspensionis poenam ipso facto incurrendam indixit: Opinionem autem quamcumque contrariam, tanquam falsam, temerariam, scandalosam, & in prærii perniciosa, damnavit, & reprobavit; eamque potissimum, de qua supra diximus, ullo modo doceri, sustineri, aut ad praxim deduci, prohibuit, sub poena excommunicationis nisi in contrariis ipso facto incurrendæ; prout latius in prædictis Litteris continetur.

§. 3. Has Litteras Innocentii Prædecessoris prædicti post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit recol. præter mem. Innocentius Papa XIII. die decimatercia Maii anni milleſimi septingentesimi vigesimi tertii, Pontificatus sui anno secundo, editis similibus in forma Brevis Litteris incipit. *Apostolici Ministerii*, quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia; ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtulerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum Poenitentiae administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum; quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus suffragante: Necnon Sacerdotibus prædictis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, ad Confessiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari, quod approbati alii fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiende sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat, vel qui ab humanis exceſſerit, aut Episcopatu renuenciaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperitur; sed necessariam omnino esse illis, qui actualiter, & pro tempore Ordinarii Jurisdictionem in ea Diocesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam, eamque tamdiu durare, quamdiu præcedens licentia, sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit; sicut etiam quando prior approbatio, tempore præfinito elapso, expiraverit.

§. 4. Cumque san. mem. Benedictus Papa XIII. præfatas Innocentii XIII. Litteras, suis aliis Apostolicis Litteris incipit. *In supremo Militaris Ecclesiæ Solio*, die vigesimatercia Septembris anni milleſimi septingentesimi vigesimi quarti, Pontificatus sui anno primo datis, earum tenore de ver-

ho ad verbum inserto, pari Auctoritate Apostolica in omnibus, & per omnia perpetuo approbasset, confirmasset, atque innovasset; ipsius quoque Auctoritate corroborata, innovataque noscuntur, quæ de facultate eligendi Confessariorum tam ab Innocentio XII. quam à XIII. decreta, declarataque fuisse commemoraverimus.

§. 4. Quia vero iidem Prædecessores nostri Innocentius XII. & XIII. in suis respective Litteris, Indultum per Bullam Cruciatæ concessum tantummodo nominatim expresserunt; & ab Innocentio XIII. alterius cuiuscunque generis privilegia generatim dumtaxat sunt indicata: Idecirco Nos animo prospicientes, quod, nisi clarius, atque distinctius declaratum fuerit, quanam Privilegia, seu Indulta sub præfatis regulis cadant, & cadere debeant, idem fortasse reprobatarum, ut supra, opinionem offensivum, ut olim in prædictæ Bullæ Cruciatæ, sic etiam in aliorum ejusdem generis Indultorum interpretatione, & usu, subesse facile posset; & vigili cura animum in id intendentes, ne inimicus homo hujusmodi zizaniam in agro Dominico ulla tenent valeat superflucinare, atque ut Fidelium conscientie securius dirigantur; non modo relata superiorum Prædecessorum nostrorum Decreta Auctoritate quoque nostra approbamus, confirmamus, & innovamus, verum etiam eadem auctoritate, & simili motu, scientia, & potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, quod idem omnino jus, quod vigore Decretorum hujusmodi, circa intelligentiam, & usum Indulti prædicti Bullæ Cruciatæ, à præfatis Prædecessoribus scriptarum, locum similiter habere, quatenus eandem opinionem, & sententiam in medium proferri contingeret circa similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christi fidelibus, sive alicui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Cætui particulari Sodalium, seu Confratrum, quodcumque, & ubicumque concessa, vel concedenda.

§. 6. Insuper decernimus, & declaramus, id, quod generaliter de Indultis præmissis sentiendum esse jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus, & singulis personis, quæ sub eorumdem Indultorum concessione comprehensæ reperuntur, vel quas in posterum comprehendere contingat; quæque supradictis Indultis uti voluerint: Ita videlicet, ut si in aliquo Indulto tam Sæcularibus, quam Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario Loci approbatum; tunc Confessarium vigore talis concessionis, sive à Sæculari, sive à Regulari Penitente ad audiendas eorum respective Confessiones electus, nullatenus hujusmodi Confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diocesano, & Ordinario Loci, ubi

Confessio excipienda est, ad Confessiones approbatus, & deputatus exilat; quæcumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores prædicti declarantur non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quæ à solo proprio Regulari Prælo obtenta foret, minime suffragante. Equum est enim, & rationi consentaneum, ut quicumque speciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto præscriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam, conditionem illam approbationis Confessarii per loci Ordinarium faciendam, alio modo intelligere, quam eo, quo ipsam intelligendam esse toties Prædecessores nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum Nos quoque vestigia inhaerentes, præfatam conditionem in eodem plane sensu, quem illi tradiderunt, ab omnibus, & singulis hujusmodi Indulto sub ea conditione concessio utentibus, accipiendam, & servandam esse statuimus, atque mandamus; quicumque illi fuerint, qui in vim ejusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, sive Sæculares, sive Regulares cuiuslibet Ordinis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, necnon Societatis Jesu, atque alterius cuiusvis Congregationis, vel Societatis, tametsi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo seu aliqua, specialis, & expressa mentio quomodocumque faciendæ foret. Ideoque Confessiones, & absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas, & respective auditas, seu impertitas, irritas fore, & invalidas declaramus; & contrariam quæcumque opinionem, ejusque proximè deinceps prohibemus; ac reprobamus tanquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti nostræ, quam ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam per præfates clarius exposuimus, penitus adversantem.

§. 7. Postremo illud monendum existimamus, nihil hic à Nobis statui, aut pronunciarum super eo, an scilicet in uno aut altero Indulto unum aut alterum personarum genus comprehendere; & quamquam Indulta specialiter Regularibus suffragari, vel non suffragari, censendum sit; hoc enim ex uniuscujusque Indulti tenore, ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, & perpetuo mansuris, quod ad Bullam Cruciatæ pertinet, plurimum Prædecessorum nostrorum declarationibus, eandem scilicet Bullam, quantum ad articulum eligendi Confessarium, sequè à casibus reservatis absolvi faciendi, nequaquam Regularibus suffragari; quod Nos etiam perpetuo tenendum, atque sentiendum, eorumdem Prædecessorum nostrorum exemplo, similiter declaramus, & contrariam quæcumque opinionem uti falsam, & perniciosam, interdiciamus, & reprobamus.

§. 8. Decernentes præfates nostras Litteras,

&

& in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exstant, sive alias specificæ, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causa propter quas eadem præfates emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quolibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolica potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præfates semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 9. Sicque, & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliove quoslibet quæcumque præeminentiæ, ac potestatis fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuiuslibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane; si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet specificæ, & individua mentione dignis, etiam sub

quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolica potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specificæ, & individua mentio, seu quavis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præfatis pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præfates, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilis deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætere valesit ipsas præfates, seu earum transumptas, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis Innocentianæ in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curatoribus nostris, ut moris est, publicari, & affigi: sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde aspicere, & arcere, ac si unicusque illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.

§. 12. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præfatis habetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, Declarationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, nonis Augusti, Pontificatus nostri anno quarto. D. Card. Passioneus, J. Datarius, V. de Curia, J. C. Boschi, L. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Public. die 11. ejusdem mensis, & anni.

Contra non promotos ad Presbyteratus Ordinem, Missam celebrantes, aut Confessiones excipientes.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

Sacerdos in aeternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, Apostolis à se ipso delectis consecrandi Corporis sui, ejusdemque offerendi, & ministrandi potestatem concessit: mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem; & simul exemplo, præceptoque suo constituit, & sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas, atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdotum ordinationem transfundi, & propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio, & Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari, & umbræ deserviebant Coelestium, omnibus quidem adoptionis suæ filiis ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii re ipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui à Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum Successoribus; rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, juxta Legem Moysi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum ab hominibus effictum, manu arripientes, præter eos, qui ex designata Tribu, & Familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur; quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui profani cum sint, adeo præstantiori novæ Legis ministerio se ingerere, atque oblationem, & dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare præsumperint; quum præsertim ea nulliter, & irritè celebrantes, puram ipsam Panis, & Vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriæ protestationibus impie profectantur, & quantum in ipsis est, in idem Idolatriæ crimen fideles Populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate, in Pœnitentiæ Tribunalibus, tanquam Judices animarum, sedere audent, eamque sibi falso asserere facultatem, emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per Ecclesiasticam Ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto pœnis plecendi sunt, cum Sacramentum reconciliationis humanæ conculcent, & sanguinem Testamenti, à quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, consentibus vero fideliter peccata sua, impiam in re gravissima fraudem faciant.

§. 1. Et quidem gravissima hujusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Prædecessores nostri Paulus IV. & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad

Presbyteratus Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumperint, à Judicibus Sanctæ Inquisitionis tradi deberent Curie Sæculari, debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor noster, ne circa penam hujusmodi delinquentibus irrogandam ullus debitatori locus superesset, in suis Litteris incipientibus: *Essi alias*, datis in forma Brevis apud S. Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentissimi primi, distinctius constituit, ut omnes, & singuli, qui, ad Sacerdotium, ut supra, non promoti, reperi fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audisse, à prædictis Judicibus, S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordiam indigni, à Foro Ecclesiastico abjiciantur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, statim Curie Sæculari tradantur, per Judices Sæculares debitis pœnis plecendi.

§. 2. Et successive rec. pariter mem. Prædecessor noster Urbanus Papa VIII. per similes Litteras datas die vigesima tertii Martii anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, quarum initium est: *Apostolatus Officium*, supradictas Decessorum dispositiones ita confirmavit, & ampliavit, ut quicumque se præfatis sceleribus obstrinxerint, mandaverit eos privilegio ætatis minoris anni viginti quinque nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad normam dictæ Constitutionis Clementinæ, statim Curie Sæculari, condignis pœnis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & singulas Constitutiones, atque Ordinationes, Apostolica nostra auctoritate approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari præcipimus, earum omnium tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro plene, & sufficienter expressis habentes.

§. 3. Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in minoribus existentibus in Romana, atque Universalis Inquisitione Consultoris munere fungebamur, ab hujusmodi criminum Reis, seu ab eorum Defensoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu, pœnarum, ut supra, justè indictarum condonationem, aut saltem minorationem obtinere contendunt; & signanter contra probationes à Fisco adstructas opponi solere, quod aut Testes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis Reum viderit Sacris se Sacerdotalibus Vestibus induentem, alter eundem ad

Al-

Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Missæ partem recitantem audierit; aut etiam quod ab eodem Fisco non satis exclusæ fuerit promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta præsentium onus, quod ipsi Fisco incumbere contendunt: Ad elevandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed antequam illam explet, ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam integre celebrasse convictus fuerit, id, juxta assertum sensum prædictarum Constitutionum, nequaquam sufficiat ad incurtendas pœnas in eisdem propositas; vel denique; etiam plures hujusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari possit, formam Consecrationis ab eo prolatam fuisse.

§. 4. Idcirco Nos, frivola hujusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re mature à Nobis ipsis, & accurate perpena, atque etiam audito consilio Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum à Sancta Sede specialiter deputatorum, motu proprio, & de Apostolica potestatis plenitudine, statuimus primo, & declaramus, quod licet delictum celebrationis Missæ non satis plene probatum dici possit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio Sæculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur; nihilominus in incipia per hujusmodi depositiones acquilata, satis relevanta judicari debeant, ut Reus tormentis subijciatur, ad eliciendam veritatem.

§. 5. Ad dignoscendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera constitutus fuerit, necne; laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis Sac. Inquisitionis, qua consuevit in hujusmodi casibus exquirere per litteras ab Episcopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipse eundem Reum promovērit, sive ad alium Episcopum litteras Dimissoriales pro ejusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenierit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujusmodi extrajudicialibus Episcoporum Litteris constet, minime Reum fuisse promotum; id satis superque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur; declarantes, non aliter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium prætetendat, suam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter ostendere.

§. 6. Sub dispositione vero præsentis nostræ, necnon præmissarum omnium Constitutionum comprehendere decernimus omnes, & singulos, qui, absque Sacerdotali gradu, & ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missæ partem celebrasse judicialiter fateantur, seu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque, in Altari peregerint;

quamvis de prolatione formæ consecrationis non constet; cum ex hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, & delinquentis audacia, & crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam immouatur peccatum idolatriæ, quod peractus adorationis à Celebrando non promoti erga puram Panis, & Vini substantiam exhibitos, admittitur; & in quod Populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non peracta elevatione, Reum ab Altari discessisse probetur, tunc solum concedimus, ut contra ipsum ad mitiorem penam deveniatur, arbitrio, & prudentia Judicis Ecclesiastici præfinitendam.

§. 7. Omnes denique exceptiones supra expressas, quæ ab hujusmodi Reis, eorumque Defensoribus, in ipsorum executionem prætetendunt, seu singulatim, seu conjunctim considerentur, nullatenus attendi, seu eisdem Reus suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio Sæculari, vel, si de Clericis in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutus agatur, ad eorum degradationem, & traditionem pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantæ impietatis pœnis à jure, seu alias statutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

§. 8. Easdem declarationes, & ordinationes à Nobis contra Celebrantes non promotos hucusque statutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decernimus, qui cum Sacerdotes non sint, Confessiones Sacramentales audire, & absolutionem pœnitentibus impertiri præsumant, quos pariter eisdem pœnis traditionis brachio Sæculari, seu respective degradationis, & traditionis pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, subijci debere præcipimus; non obstantibus præmissis exceptionibus, si quas ab hujusmodi Reis ad proprium casum aptabiles, in sui defensionem, seu excusationem adduci contingat: Sed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ, attendi debere mandamus; ubi nimirum concludenter probetur, absolutionem à Reo minime prolatam fuisse: tunc enim concedimus, ut Judex Ecclesiasticus mitiorem pœnam, pro suo arbitrio, & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

§. 9. Decernentes præsentis nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præsententia, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut illo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso,

nul-

nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolica potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posses, sed ipsas præsentis semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 10. Sique, & non aliter in præmissis censeari, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, & alios ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliove quoslibet quacunque præminencia, ac potestate fungentes, & functiones, subacta eis, & eorum collibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure *questo non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indulgitiis etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, Institutiis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet specificis, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolica potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, & individua mentione, seu quavis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro

plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respectivo habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentis, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facillius deducatur, nec quicquam de eis ignorantiam prætereendere, valcat, ipsas præsentis, seu earum transumptas, ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque Generalis Innocentianæ in Monte Ciritorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cuscoribus nostris, ut mos est, publicari, & affigi: si que publicatas, & affixas, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde aspicere, & arcere, ac si univocis illorum personaliter intimata, & notificata fuissent.

§. 13. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si fœrent exhibitæ, vel ostentatæ.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo quarto, duodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quarto. *D. Card. Pasquensis. J. Datarus. V. de Curia. J. C. Boschi. I. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Secretariorum Publicæ die 7. Maii ejusdem anni.*

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Locorum Ordinarios.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabilis Frater, salutem, &c.

Quam grave horrendumque scelus admittat, quicumque Sacerdotali Ordine non initiatus, Sacrificium Missæ celebrare præsumit, superfluum cæcæmole multis verbis demonstrare, quum omnibus perspecta sint rationes, ob quas sacrilegum hujusmodi crimen merito detestandum, at-

atque distincto poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit Apostolicæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones hic indicare, quibus verisimè adversus memorati criminis reos poenæ statuuntur; quæ scilicet à sel. record. Paulo IV. Sixto V. Clemente VIII. & Urbano VIII. Romanis Pontificibus, editæ fuerunt; quarum sanctionibus deinceps, ut quicumque Sacerdotali characterē destitutus, compertus fuerit Missam celebrasse, Foro seculari puniendus tradatur.

§. 2. Has omnes Constitutiones Nos ipsi memoravimus, & confirmavimus in nostra, quam usque ab anno Incarnationis Dominicæ 1744. Pontific. nostri 4. sub dat. 12. Kal. Majas edidimus, cujus initium est: *Sacerdos in æternum*, quæque impressa est in Bullario nostro Tom. 1. num. 97. ubi præterea plures tolluntur exceptiones, & subterfugia, quæ per Defensores reorum asserri solebant, ut eos eximerent à decreta poenæ traditionis brachio seculari; quantumvis legitimis probationibus plane confisat, eisdem Sacerdotali ordinatione nunquam suscepta, Missam celebrasse.

§. 3. Quamvis autem Ecclesia præfatos celebrantes non promotos, justitia sic exigente, seculari Foro tradendos decreverit; quum tamen eadem pia mater sit, & ut omnibus constet, lenitatis, & misericordiæ viscera gerat, nec unquam emiserit, nec adhuc desinit mansuetudinis suæ argumenta præbere, tum in statuenda forma degradationis verbalis, quæ realem degradationem præcedit; tum in ipsa reali degradatione exequenda; tum denique in providis legibus, & cautelis editis, atque susceptis, ut nequissimos homines arceret à sacrilegio aulæ sepe immittendi Sacror. Mysteriorum celebrationi, abque Sacerdotali ordine, & characterē; viam illis quodammodo præoccupando, qua in præfatum poenæ traditionis brachio seculari prorurere possent.

§. 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui Sacris Ordinibus, excepto Presbyteratu, insigniti sunt, quam & in cæteros Clericali tantum Tonsoira, aut minoribus initiatos. Hoc solum inter utroque intercedit diferimen, quod in Clericis Minorum Ordinum, aut simpliciter Tonstratos, & verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est, degradatio realis decernitur, à toto Episcopo, abque aliorum quorumcumque interventu: in alios vero Majoribus Ordinibus infra Sacerdotium insignitos non licet Episc. ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus, & iustitiam simul ferentibus aliis quibusdam personis, quarum præsentiam, sententiamque Canonice Leges exoptant.

§. 5. Celebris est Decretalis Prædecessoris nostri Bonifacii Papæ VIII. in cap. *Degradatio, de Pœnis, in sexto*, ubi hæc leguntur: „Super quo

„tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab Ordinibus, vel Gradibus Ecclesiasticis, est à proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito Canonibus, faciendâ; quam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsentia, sufficit in degradatione eorum, qui Minores dumtaxat Ordines receperunt.

§. 6. Notæ sunt etiam sanctiones Canonum, quos indicat Glossa Canonica, in cit. cap. *Degradatio, in verb. Canonibus* de Pœnis in sexto, quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuntianda sit degradatio verbalis adversus Clericum in Majoribus Ordinibus constitutum.

§. 7. Nec quemquam latere potest quod in Sacro Concilio Tridentino statutum fuit *sess. 13. cap. 4. de Reform.* ubi quum animadverium fuisset, non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum à Canonibus requisitum, facultas sit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen, sibi quæ ea in re assistentibus totidem Abbatibus, in Civitate, aut Diocesi residentibus, atque uti Mitre, & Baculi ex Apostolica Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adsint, aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, matura ætate, & sacrarum legum scientia spectabilibus.

§. 8. Quoniam vero juxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis Provincialibus, & in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii Ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse jus ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas, uti Assesores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum à Nobis fuit in nostro Tractatu de Synodo Diocesana, lib. 9. cap. 6. num. 4. novissime edit.

§. 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cujus exequenda ratio distinctè præscribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitas, & pietatis suæ argumenta præbere. Etenim priusquam degradatum tradat seculari Curie Ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne poenæ mortis, aut mutilationis membrorum eidem infligatur: „Domine Judex (verba sunt citati Pontificales) rogamus „Vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore „Dei, pietatis, & misericordiæ intuitu, & nostrorum interventu precamini, miserimo huic „nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis: „Multo ante Pontificalis Romani compilationem, id ipsum expressum legitur in cap. *Novimus*, quod est Innocentii III. de *Verbor. signific. ibi: Pro quo tamen; tersum est de degradato,*

est. Id ipsum enim præstitum aliàs fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. Prædecessore nostro Clemente Papa XI. tunc quum sæculari Foro traditus fuit quidam capitali pœna pleendus, eo quod Sacerdot. Ordine non insignitus, Missam celebraverat.

§. 20. Cum his igitur, qui usque nunc comperiti fuerint ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promoti, Missam celebrasse, aut Sacramentales Confessiones excepisse, juxta rationem hæcenus descriptam, à competentibus Judicibus, & Tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam hujusmodi crimen, utpote gravissimum, & satis super-

que frequentatum, omni ratione præcavendum, & quantum fas est, à Christiana Republica eliminandum, extirpandumque Nobis esse cognovimus; novam hæc de re legem à Nobis statutam per Apostolicarum Constitutionem (cujus exemplum Epistola huic annexum Fraternitas tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab ejusdem Constitutionis data computandos, omnino servari, & ad effectum perducendum mandamus, Tibique interim, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 2. Augusti 1757. Pontificatus nostri anno 17.

Nec suffragatur criminis confessio in primo interrogatorio, ad evadendam pœnam traditionis brachio sæculari.

BENEDICTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Divinarum, humanarumque Legum custodia vigilantia nostræ concedita hoc Nobis onus imponit, ut & assiduo studio caveamus, ne scelera, atque flagitia contra ipsas Leges committantur, & ut ea, quæ ab iniquitatis filii perpetrari contingat, juxta pœnarum rigore, ad formam Sanctionum iustis Legibus adscriptarum, puniri, & vindicari curemus.

§. 2. Sane Nos aliàs, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, & accedentibus ad Eucharisticam Mentam, Panem à se nulliter consecratum distribuere, ausu temerario præsumerent; edita Constitutione, que incipit: *Sacerdos in æternum*, data 12. Kal. Maii, anno Incarnat. Dominicæ 1744. Pontificatus nostri IV. antiquiores Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jam pridem editas confirmantes, & innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addimus, ad eliminandum à Christiana Republica sacrilegum ejusmodi facinus maxime opportunas, que distincte legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro Tom. 1. num. 97.

§. 3. His tamen ampliolem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatum, & ab invecta sententia in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pœne concessum, quo debitas sibi graviore pœnas plerique evadere possent, una cum cæteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hæcenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum à Judice interrogatus fuerit,

an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte, & candide delictum suum fateatur, & naret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam pœna minoracionem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Sæculari tradatur, tanquam capita is criminis reus; quemadmodum prælatæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones, à Nobismetipsum, ut iuradiximus, confirmate, & innovate præteribunt, uti latius à Nobis expositum est in Epistola Encyclica ad Antistes Ordinarios Locorum, & Judices in hac materia competentes hæc ipia die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerique reos, qui Sacerdotali characterem carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Pœnitentiæ nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, & coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Sæculari, extremumque supplicium exinde consequens, evadant; quumque hæc ratio re ipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reis, qui moderationem pœnæ in præfatis Constitutionibus statuta non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Sæculari Foro, tanquam capitali iudicio damnatus, & mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur;

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujusmodi praxim de medio tollere coacti; motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo validitatem Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses à data præsentium Litterarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico impediti criminis reo, promerita pœna minoracionem ullam concedi debere, sive post, intuitu promptæ, apertæque confessionis, qua

qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici factus fuerit; sed, ea non obstante, omnes, & singulos in præcedentibus Constitutionibus hæc de re editis comprehensos, à Judice competente, in casibus ibidem expressis, prævia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, & esse brachio Sæculari, capitali pœna puniendos.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeferi, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, nostrosque, & Apostolicæ Sedis etiam de Latere Legatos, seu Nuncios, & in quibuscumque Tribunalibus, & Officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, definiri, & post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem, & effectum omnino perducere debere.

§. 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus, vel specialibus, Constitutionibus, Ordinationibus, & Decretis; necnon dictorum Tribunalium, & Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus, & consuetudinibus; etiam immemorabilibus; Personarum quoque, Locorum, & Ordinum, Congregationum, Societatum, Instituto-

rum, & Militiarum Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, quæ supradictæ prioris Constitutionis nostræ executioni decrevimus non obstante; Quibus omnibus, & singulis, etiam ad præsentium Litterarum nostrarum effectum, item plenissime, & amplissime derogamus, cæteri que contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum Decretorum, Statutorum, & Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incururum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnatiōis Dominicæ 1757. quarto Nonas Augusti, Pontificatus nostri anno decimo septimo. J. Card. Præ-Dar. D. Card. Passioneus. Vica de Curia J. C. Boschi L. Eugenius. Loco & Plumbi. Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 11. Augusti 1757.

De Monialium Confessoribus, vid. supr. ad Part. 2. cap. 3. & 5. De reliquis vero in ipso Pœnitentiæ Sacramento delinquentibus, infr. ad Tom. 2.

CIRCA INDULGENTIAS, ET JUBILÆUM.

Ad d. Part. 4. Cap. 8. §. 9.

Indulgentiæ pro recitantibus quinque flexis genibus Orationem Dominicam, & Anglicam, singulis Feriis sextis.

BENEDICTUS PAPA XIV.
Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pœnitentiæ, & Agoniæ Redemptoris, & Domini nostri Jesu Christi, unde nobis vita, salus, & resurrectio manavit, memoriam in omnium Christi fidelium animis excitandam, atque fovendam Cœlestibus Ecclesiæ Theauris, quorum dispensationem Nobis creditit Altissimus, omnibus & singulis Christi fidelibus, qui singulis Feriis sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuersitque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinque Orationem Dominicam, & toties Salutationem Ange-

licam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon salutari perditionum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; præsentibus perpetuis futuris temporibus validit. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transcriptis, seu exemplis, etiam impresis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1740. Pontificatus nostri anno primo D. Card. Passioneus.